Viro clarissimo et doctissimo
Gottl. Cortio
S. P. D.
P. Burmannus

De loco Plinii primum agam. nescio an ipse perperam excerpserim ex Heinsianis scedis, an tu ordinem et positum verborum non videris: non enim pro duntaxat, multis exhibet Med. Cod. sed pro orationis. hicque est contextus totius periodi: tentavi enim imitari Demosthenen, semper tuum, nuper meum, dumtaxat figuris multis: nam vim tam verborum pauci, quos aequus amavit, qui possunt. In Leidensibus nihil praesidii. in uno priores duae epistolae desunt, alterum nondum consulere vacavit. Quos vero [illegible] Epistolarum codices in bibliotheca Academica exstare video, et unde tu quatuor esse credas, nescio. vellem equidem tibi descriptas inde var. lect. dare, si vel idoneum possem reperire, qui meas vices obiret, vel mihi id temporis et otii superesset, ut hunc laborem exhaurirem. Sed ita distrahor variis negotiis, qua publicis qua privatis, sum ut vix penso meo sufficiam. accessit primo vere infirmitas quae omnem fere aestatem mihi inutilem fecit, ita ut et a studiis coactus fuerim remittere animum, et ruri me nihil fere agendo recreare. Jam quidem melius me habeo, sed admonet aetas, quae jam ad secundum et sexagesimum annum promota est, ne me fatigem et vires quae supersunt exhauriam. quare gratiam hujus operae mihi fieri fas est. Venatici et bucolici

jam prela reliquerunt, et in Rutilio, quem
illis cum Sereno Samonico comites dabo, operae
exercentur. Excerptis Palatinis jam usus Vitelius,
et ego a Cl. Wolfio accepi codicem, cujus margini
variae ex Pal. codice lectiones erant adscriptae, unde
quae mihi usui erant, quasdam elegi. In his tamen
hic et illic variasse, qui descripserunt, notavi; sed
in non magni momenti verbis.

Novi parum est quod tibi nuntiare possim. De
Mascovio Trajectum evocando nihil mihi compertum
est, nec de alio quidquam etiam certi constat.
magna vero penuria apud nos est JCtorum, qui
vera ratione et solida jus Romanum explicare
possint, eaque dubios et tardos facit Ultrajecti-
nos. Heineccium non novi, sed ambit
hanc provinciam Eccardus Duisburgensis Professor,
Wasmuthus etiam Lingensis a quibusdam commen-
datur. Sed mallent aliquem qui per vestigia
Cujacii, aut qui nuper floruit, Noodtii incederet.
Nam ut in Germania solet, juris studium
tradi, tot ambagibus et ex forensi usu [illegible]
involutum, nostratibus vix placet.

Gorvilius hac hebdomade duos dies nobiscum
egit, et jam totus est in adornanda itineris sui
per Siciliam descriptione, qua docebit aliter
viros literatos has terras obire, ac praemium

et omnis disciplinæ rudes adolescentes, qui ut
rustici Ille Calpurnianus, in aliam urbem delati
despici et ope patenti stupent ad veteris ævi
monumenta, quæ non intelligunt. Nihil ab aliquo
tempore hic prodiit cura literatorum dignum. Staveren-
ius omnibus se bibliopolis vendolare pergit, quemcumque
demum auctorem emittere velint. nunc operam
vendat Westenio, qui Morelliana numismata
edit, quæ ille explicatione illustrabit. eodem,
credo invitum, quo Paruta Siciliam nobis dedit.
in Frontino laborat Oudendorpius, in Aurelio
Victore Arentzenius, quem et Olivii epistolas
minari se editurum inaudivi. reliqua ex ephemeridibus
cognosces. Christio meis verbis salutem dicas, cujus
partem primam noctium Academicarum jam olim
accepi. Vale et me ames Leidæ Kal. Novemb.
CIↃIↃCCXXIV.

Monsr

Monsr Godlieb Cörtius
Professeur en droit
à
Leipsich

franco per
Emmerik

3

4

8